

Petrus de Vinea

*Ep. II 41 (Etsi uolatilis
famae proprietas...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 41 (Etsi uolatilis
famae proprietas...)*

fine febbraio 1248

Officialibus suis, quomodo expugnatus fuit ante Parmam, et ut non credant signo prioris bullae

1. Etsi uolatilis famae proprietas, quae solet in prosperis uera loquacitatis argumenta minuere, et in aduersitatis turbine sumptis uiribus eundo fictiliter, preter ueritatis indicia suae prolationis fimbrias dilatare, nuper de nostris processibus diuersis forsán discussa relatibus, uestris auditibus aliquid presentarit, ne tamen aliter quam rerum ordo se habeat, aduersariorum nostrorum adulteris fulta mendaciis, si sinistri casus quicquam uel enorme de nobis precurrens adduxerit, ecce nudam ueritatis indaginem eorum, quae nouiter contigerunt, tenore presentium uobis amabiliter referamus. 2. Pridem siquidem dum Parmensium nostrorum rebellium proterua temeritas, quam per instantis obsidionis excidium nostra serenitas ad extrema deduxerat, tenuis spiritus uegetata suffragio laboraret in ultimis, uolens in fortunae dubiae manibus externis ponere causam suam, de qua desperare ulterius necessario cogebatur, tractato cum aliquibus exulibus ciuitatis ipsius quodam fraudulentae machinationis inuolucro, cum resistentiae sibi fiducia uel resistendi materia non subesset, temporis etiam habilitate captata, quo partem gentis nostrae ad fabricationem pontis cuiusdam in Pado, per quem aquae nobis seruabatur dominium, miseramus, die martis decimo octauo presentis mensis februarii beroarios quosdam, ut ad eorum persecutionem gentem nostram aduerterent, callide premiserunt. 3. Sicque dum fideles nostros, quos uirtutis interius animositas accenderat, et in similibus expertes iam pluries fortunae placiditas animaret, ad reprimendam huiusmodi rebellium pusillanimitatis audaciam, inermes

et unanimes extra castrorum nostrorum limites casus tam subitus eduxisset, accidit quod, priusquam ad defensionem omnimodam ciuitatis Victoriae, quam ibidem statio nostra firmauerat, fideles nostri regredi potuissent, rebellium eorundem incauta presumptio, quam exulum, ut diximus, occulta proditio uitiabat, castra nostra cum rebus ibidem habitis ignis incendio concremarunt. 4. Nos autem, quos euentus huiusmodi repentina propulsatione commouit, ut uia nobis aliunde liberior ad offensionem eorundem rebellium preberetur, per Illius gratiam, qui continuato suffragio tuetur Imperium, salubriter cum tota gente nostra eodem die martis Cremonam adiuimus, ubi per triduum, tam Cremonensium quam Papiensium aliorumque nostrorum fidelium robore concorditer adunato, statim castra nostra in obsidione Parmensium ex alia parte duximus repetenda. 5. Vbi eorum proteruiam multo arctius solito tenentes obsessam, in Dei uirtute confidimus, et de fortunae solitae, quae solet gratius arridere, dum prouocatur, pietate speramus, quod cum nostra per id nostrorumque fidelium ardentius sint accensa precordia, de rebellibus ipsis in proximo uota nostra infallibiliter attingemus. 6. Vnum uerumptamen notitiam uestram non lateat, quod sic nos dimittere fortuna non uoluit suae felicitatis expertes, quin post eundem diem martis, quo se peruersitatis casus immiscuit, proximo sequenti die dominico nos ex parte altera Marte gratifico demulceret. 7. Cum enim Henricus, illustris rex Sardiniae, sacri Imperii in Ytalia generalis legatus, dilectus filius noster, Padi dominium, quod uictoriam nobis de hostibus priscam tribuerat, possideret, naues omnes Mantuanorum rebellium, quas in friuolum Parmensium subsidium congregarant, potentiae nostrae

uirtute suffultus potenter aggrediens, eos uiriliter expugnauit, ita quod centum de nauibus inter magnas incastellatas et paruas, et trecentos de dictis rebellibus, quos in nauibus spes fallax incluserat, preter peremptos gladio et aqua submersos, quorum non est numerus, in captionis parata retia, quos declinare fuga non potuit, miserabiliter inciderunt. 8. Et sic eorum nauali presidio sublato de medio, integre Padi dominium obtinemus. 9. Sane cum in castrorum nostrorum combustione, quam diximus, Camera nostra cum aureae bullae typario et Regni nostri sigillo perdita extiterit et amissa, propter quod aduersariorum nostrorum per casum tam horridum effrenata superbia, quae causam nostram hactenus rebus semper ueritate carentibus obfuscauit, per typarii copiam, et sigilli, multa sicut firmiter credimus, in honoris nostri dispendium, falsa machinatione confinget, deuotionem uestram requirimus, uobis districte mandantes, quatenus, si predictorum bullae aureae uel sigilli munitae signaculis ad uos aliquae litterae sub nostri nominis titulo peruenirent, fidem eis stabilem uestrae mentis constantia, cum fidei robore careant, adhibere cuiusquam uos suggestio non seducat.